Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 759
Quelle:
Copyright:

verſum parum ſe exemplo ſuo adſtringit. Eum hic inter *Ambroſii* Opuſcula interceptum eſſe, fortaſſis in cauſſa eſt Tractatus ille ſpurius de eodem argumento, quem et Codices *mſſ.* puta *Vatic. Mediol. Medic.* et horum autoritate Editiones antiquiores *Ambroſii*, v. g. *Romana* coepta 1579. et ad eam expreſſae, ut *Pariſina* 1661. T. V. col. 553. perperam *Ambroſii ad Palladium* inſcripſere, unde fieri potuit, ut Librarius noſter in titulo praemiſſo *Commonitorium Palladii* τὸ *Palladii* quaſi dativo caſu, ſeu *ad Palladium* intelligeret. Ceterum *Pſeudambroſius* iſte etiam apud *Biſſaeum cit.* p. 57. praeſto eſt.

X. *fol.* 262. p. 2. *Ambroſius de lapſu virginis Suſanne.* Omiſſa illa periodo: *Puto levius eſſe crimen* &c. incipit: *Quid taces anima, quid cogitationibus eſtuas* &c. Tributum olim etiam *Hieronymo* Opuſculum *Vallarſius* in T. XI. ad *col.* 180. rejecit. *Mauriani* tamen *Ambroſium maluere*, ut habes edit. *ſuprac.* T. II. *col.* 305. Rationibus eorum expenſis ob ſtili maxime diſcrepantiam *Vallarſius* illud *Niceae* Civitatis *Romatianae* ſeu *Romaniciae*, quam quidam *Aquilejam* volunt, ſeu *Romeſianae* vel *Remiſianae* in *Moeſia* Epiſcopo adjudicat, fultus *Gennadii* c. 22. teſtimonio, qui *Niceam* hunc tradit *Libellum ad lapſam Virginem* edidiſſe. Exemplar noſtrum mendoſum, neque integrum eſt; exit enim in verba: *dummodo nec illas penas eterni ignis incurrerent.* Ultima igitur II. *Capita*, ſive *in Corruptorem Invectio*, et *ad Lapſam Conſolatio* deſunt.

Ad conveſtiendum Codicem ſerviunt Membranae mutilae, quibus continentur Literae executoriales *Petri* Epiſcopi *Electen.* pro *Auguſtino Tirgarth* a *Martino* V. pro beneficiis eccleſiaſticis in Dioec. *Patav.* et alia, cujus nomen abſectum eſt, commendato. Datae ſunt a. 1425. *Martini* octavo.

CCCLII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 101. 4. maj. non una manu, eleganter tamen ſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim *ſancte Marie in Pomgartenberge* Ord. *Ciſt.* in ſuper. *Auſtria* continet ſequentia: I. praemiſſo Indice *Incipiunt queſtiones LXV. Oroſii & totidem Reſponſa S. Auguſtini.* Initium: *Licet multi et probatiſſimi uiri diuerſo quidem ſtilo & non diuerſa fide* &c. Finis: *Nam qui preeſſe feſtinant, quidam patrum eliganter expreſſit, ſciat ſe non eſſe epiſcopum, qui preeſſe deſiderat, non prodeſſe.* Atque vel ſolus hic finis Lectorem docere poteſt, non eſſe *Auguſtinum*, qui ſe ipſum ita citare ac laudare poſſit; eſt enim haec *Auguſtini* ſententia L. XIX. *de Civ. Dei* c. 19. Unde et *Mauriani Quaeſtiones* iſtas ad *Append.* T. VI. *col.* 7. ablegavere. R. 3090

II. *fol.* 19. *Incipit liber queſtionum S. Auguſtini epiſcopi.* In *Append.* T. III. *col.* 41. inſcribuntur *Veteris et Novi Teſtamenti*, quae diviſio etiam nobis ad *fol.* 41. p. 2.